12
66
34-6-E-7-

AVREA
PAVPERTATIS AETAS
ORATIO
DE S. IVONE
PAVPERVM ADVOCATO.

Habita in eiuſdem templo

AD EMINENTISS. S.R.E. CARD.

A IOSEPHO NALDO MARINENSI S.R.C.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE



ROMAE, Typis Nicolai Angeli Tinaſſij. MDCLIX

SVPERIORVM PERMISSV.

12

Digitized by Google

EMINEN.^{MO} AC REVEREN.^{MO} PRINCIPI

ANTONIO
CARD. BARBERINO
S.R.E. CAMERARIO.

IOSEPH. NALDVS FEL.

AVREAM atatem in Inoñe renouatã nulli melius ſacrã-dam cenſui, quam tibi P. E. quippe qui ferro rigeſcentia ſæcula ſparſis vndique bene-ficijs in aurea commutans, a-lienam ſolum indigentiam amas, vt dites, alienam ſo-lùm calamitatem quæris, vt bees. Habeat hoc ſane mortalium auaritia, vt in-hians multis, amiſerit omnia, atque in ſuum vertere contendens, quod in commune natura proiecerat, omnia pariter fecerit aliena. Habet hoc Tua liberalitas, vt cùm amplos diuitiarum cumulos in populos erogauerit; alienas opes fecerit Tuas: quod enim cæteris diſpenſa-tur non tam amittitur, quam donando locatur ſecurius.

Grande quidem ætatis aureæ præconium fuit, ut cum in medio iacerent beneficia naturæ, neminem licet ſupra cæteros locupletarent, locupletiſſimum tamen Genus Humanum dixiſſes, dum nullus pauper inueniebatur. Grandior Munificentiæ Tuæ decorum cumulus accedit, quod cum multos pauperes inueneris, ipſius naturæ liberalitatem ſuperaſti, dum illa neceſſitati tantum, Tu etiam delicijs inſeruis: non enim ex accipiendi voto, ſed ex dandi Deſiderio liberalitas dona metitur. Quin petentium vota præuertis, quaſi minuantur munera, quæ ſupplicantibus diſpenſantur, & auarè nimis partes ſuas agat liberalitas, quæ ſuorum donorum pretium exigit preces. Hoc tamen tuæ debes liberalitati, quod illa & diuitum ſplendorem, & pauperum dederit ſecuritatem: non enim vniusfurta timet, qui patrimonia ſibi palam diripi populorum omnium manibus amat. Sic quod inuiſum cæteris, eſt tibi pene dixerim amabile rapiendi delictum. Excipe igitur auro fluentem ætatem in Iunone repreſentatam: nec munera dedigneris, quaſi dare ſemper, accipere nunquam conſueueris: cum enim Tuo patrocinio mea omnia, ſuſtententur, Tuo vigeant beneficio, quæcumque rependo, non tam mea reddo, quam repetis tua. Vale.

ORA-

ORATIO.

NIHIL eſſe paupertate fælicius, E.P. ſi bonũ ſortita ſit vindicem, eo potiſſimum tempore patuit, quo propugnatorem, & parentem in terris Iuonem pauperes habuere. Tum profectò auro carentibus aurea ętas effulſit, & nil tantopere in pretio fuit, quã quę minime pretioſa cenſetur inopia. Comprobatum eſt ea tempeſtate, ſolidam veritatem poëtarum carminibus adumbrari, qui aureum illud ſęculum appellarunt, quo ſpernebantur opes Irritamenta malorum: ferreum verò illud, quo è montium viſceribus in perniciem generis humani aurum ſplendida mortalium peſtis erupit. Diuites e- Ouid. Met.

Digitized by Google

rant cultores temporis aurei, quia ſine diuitijs, & lucrum grande cenſebant viuere ſine lucro. Deerant quidem illis veneno Tyrio ſaturatæ veſtes, & pretioſa gemmarum vincula, ſed vera mentis libertas, & pacis dulcedo non deerant. Paupertas ante omnes delicias fuit, ſed citra ſordes, & ærumnas, & quod in paupertate miſerimum eſt, potentiorum iniurias. Hanc ætatis auræ fælicitatem Pauperibus Iuo reſtituit, cum neglecto Splendore generis, diſtributiſque in egentium vtilitatem fortunæ muneribus, in gratiam Seruatoris Dei inter inopes ipſe inops atque inopum nutritius vixit, epulari ſe opiparè arbitratus, cum pro aliena ſaturitate eſuriret, & valere commodiſſimè, cum ex ægrotantiũ languore, palleſceret. Iucundum ſanè ſpectaculum exhibebatur Cælo, cum Iuonem immixtum Pauperum gregibus, circumfuſa vndique orphanorum, & viduarum turba prenſaret, comitaretur, ſalutaret, & liberatorem, vindicem, Patrem feſtiuis vocibus acclamaret, dum ipſe benignò omnes oculo-

rum

rum obtutu conſpiciens, hunc amplexu, illum oſculo peteret, alios laudibus, alios donis ornaret, ſuamque omnibus operam curam, ac vigilantiam polliceretur. Præſtabat Iuo dicendi ſcribendique facultate admirabili, & ex ipſius ore, melle dulcior, fluebat Oratio. Cum igitur non ſatis haberet, fortunas ſuas in obſequium Diuinitatis Pauperibus deuouiſſe, linguã etiam calamumque deuouit. Hoc vero in primis arduum eſt, nec antiquis illis ſapientibus peruium, qui ſpernentes diuitias, & in alienos vſus erogantes, opes tamen ingenij; & ſapientiæ theſaurum retinebant ſibi. Proiecit quidem in mare auri, & gemmarũ pondera Crates Thebanus, abite, (inquiens), malæ cupiditates: Mergam vos, ne ipſe mergar à vobis: Sed ſapientiam, qua ſe ſatis ſuperque diuitem arbitrabatur, mordicus tenuit ſuæ duntaxat vtilitati ſeruientem. Nec Democritus conſenuiſſet in Hortulo, nec Diogenes delituiſſet in Dolio, nec patria profugus Bias ſua ſecum bona ferre dixiſſet, niſi omnes iſti fælicitatem in ſola ſapientia

col-

Digitized by Google

collocaſſent. Specioſi tamen pecuniæ cõtemptores flagrabant auaritia gloriæ, & diuitum faſtus calcantes ſuæ turpiter famæ ſeruiebant. Sapientiſſimus verò Iuo ne ſapere quidem voluit, niſi pauperibus quorum commodis cũ & vires ingenij, & fæcunditatem linguæ, & fælicitatem calami conſecraſſet, dici & eſſe aduocatus pauperum voluit. Facillimum eſt auditores diuitum, & potentium cauſam ſuſcipere. Cui enim exploratum non eſt plurimum poſſe in Iudicijs gratiam, atque eò plerumque Iudicum inclinare ſtudia, vnde lucri ſpes maior affulget, eumque, qui contra diuites pugnat, pugnare contra fortunam, & magnum in ſe habere præiudicium clientis inopiam? Pauperum cauſam Iuo defendit ita coſtanter, vt eam non niſi relicta vita reliquerit; adeò fortiter, vt ingruentem in ſe potentiam Diuitum nil pertimeſcens, illorum furori inconcuſſam ſui pectoris arcem opponeret, & coniurantis in ſe magnæ fortunæ impetum ſolus ſuſtineret, tam integrè, atque incorruptè, vt non aliam ſui patro-

tro-

trocinij mercedem voluerit, quam æqui-
tatem cauſæ, tam denique proſperè vt li-
cet humanis deſtitutus auxilijs, & ma-
gnarum partium aduerſarius, nunquam
tamen cauſa ceciderit. Itaque eo dum-
taxat nomine cæperãteſſe in minori pre-
tio diuites, quia non probabantur Iuoni,
&honorifica erat ſub tanti viri patrocinio
paupertas. O fælicia illa tempora, qui-
bus miſeri fuere fælices. O diuinam ho-
minis artem, qui miſeriam in fælicitatem
vertere potuit. O Iuonem planè aureum,
qui auream ætatem pauperibus intulit cũ
eſſet ipſe ſine auro! Quam enim aureus
ergà inopes, tam in ſe ferreus fuit. Som-
ni cibique parciſſimus, & noctes vigilijs
dies precibus, &ieiunijs extrahens flagris
inſuper acerbiſſime in ſua membra ſęuie-
bat, efficaciſſimus etiam tum pauperum
aduocatus, cum inter verberà ſonituſque
plagarum ante diuitum iudicem vocibus
oraret ſanguinis, & imminentem pauper-
tati fortunæ procellã receptis in ſe flagrõ-
rum ictibus propulſaret. His ille pieta-
tis

Digitized by Google

tis operibus meruit, vt non hominis tantum, ſed ipſi etiam Cæli proceres ſibi plauderent, & gratularẽtur. Hi profectò, vt Iuoni fauerent, panem, qui vnus ſuppetebat, in pauperes diuidenti plures alios ſubmiſerunt. Hi ſæpiſſime ſtipem exiguam, vt bene multis eſſet ad numerum, nouo prodigio auxerunt. Ipſe Cæleſtium dinaſtarũ Princeps ore habituque mendici pauperum turba menſæ illius frequenter aſſedit, & conuiuator superûm voluit Iuonis eſſe conuiua. Sibi habeant ergo fortunas ſuas inopes opum cultores. Arceant à complexu ſuo pauperes veras Chriſti delicias. Soli ſint diuites, ſoli felices dummodo, & in aureis vndis Tantali ſitim experiantur, & infauſti compotes voti torqueantur pretioſo Midæ tormento; & inter Dioniſij epulas impendentem ceruici gladium pertimeſcant. Nos Iuonis exemplo ea, quæ ferire poteſt fortuna extra teli iactum collocantes, auream ætatem pauperibus redonemus; Atque id animo fixum habeamus, perituras nobis eſſe opes; ſi non pe-

rierint , manſuras perpetuo ſi manibus egenorum additæ fuerint æternitatis ærario.

DIXI.

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google